



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XXX. De potestate eorundem Prælatorum ad res aut vestimenta sacra
benedicenda vel consecranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

charactere insignire, prout poterant perpetui Abbates, sub quibus generalibus verbis certum est, tam singulare privilegium non comprehendendi, maxime, quia illud commune non erat omnibus perpetuis Abbatibus; ibi autem solum conceditur, quod omnibus commune erat. Vnde certum existimo etiam ante Concilium Tridentinum, hoc non potuisse. De alijs verò quatuor minoribus Ordinibus contrarium est, etiam de his Abbatibus non benedictis, ratione illius privilegij, nam licet verbum *character clericalis* sufficienter posset in sola prima tonsura verificari, tamen ex se ad illa non limitatur, & ideo convenienter extenditur ad omnes ordines Minores, ad quos saltem ex consuetudine extendebatur potestas perpetuorum Abbatum, quibus quoad hoc triennales æquiparantur.

XXVI. Sed obijci potest capitulum, *Abbat*, de privilegijs in 6. ubi solum permittitur Abbatibus primam clericalem conferre tonsuram, per quod videtur etiam antiquum ius limitari. Nonnulli volunt extendere textum illum ad omnes minores ordines, ut videre licet in expositioribus, & alijs, quos refert Sylv. verb. *ordo*, q. 2. Sed planè repugnat proprietates literarum prima tonsura Clericali proprie significat solum illam, ut à proprijs ordinibus distinguitur. Et ideo dicendum est in illo textu, non præcipuè disponi de ordinibus, quos possunt Abbates conferre, sed de personis, quibus possunt eos conferre, & quoad hoc ampliabat textus ille ius antiquum, (ut dixi) ad quoscunque subditos Abbati habenti iurisdictionem Episcopalem, etiam seculares. Igitur ratione huius ampliationis solum primæ tonsuræ mentionem fecit, quia quoad omnes illos subditos noluit illi Pontifex maiorem potestatem dare, si tamen aliunde habebatur, non abstulit illa; nullum enim verbum reuocatorium quoad hanc partem addidit. Et vel maxime, quod privilegia, quæ minores ordines concedunt, posteriora sunt, & consuetudo etiam id semper obtinuit.

Decima Quæstio, An in privileg. ordinandi communicent alijs religiosis.

XXVII. Vltimò dubitari potest, utrùm Prælati aliarum Religionum per viam communicationis gaudere possint hoc privilegio; & ratio dubitandi est, quia Prælati Mendicantes, v. g. communicant non solum inter se, sed etiam cum Religionibus Monachalibus, ut constat ex varijs privilegijs, quæ in eorum compendijs referuntur, verb. *Communicatio*; sed hæc facultas conferendi Ordines minores pertinet ad vnum ex privilegijs Apostolicis; ergo in illo etiam communicabunt. Patet consequentia, quia verba Pontificum generalissima sunt, ut constat præcipuè ex privilegio Clementis VII. Minoribus concessum, in quo inter alia dicitur, *omnibus facultatibus & gratiis nostræ professionis regulari observantibus, non contrariis alijs ordinibus quibuscunque non Mendicantibus quomodolibet concessis, & in omnibus, & per omnia, perinde ac si nobis concessa specialiter fuissent.* ubi hæc potestas comprehenditur sub nomine facultatis, & gratiæ, maxime cum illa ampliatione, *in omnibus, & per omnia.* Nec talis facultas repugnat institutis aut Regulari observantia; aliarum Religionum, quæ Monachales non sunt. Cur ergo Prælati earum non participabunt hanc potestatem, cum sint verè Prælati, & æqualem habeant in suis subditos iurisdictionem Episcopalem, & consequenter in re ipsa habeant æqualem dignitatem, etiam si non eodem nomine appelletur.

XXVIII. De hoc nihil inuenio à Doctoribus tractatum, tamen ex perpetuo eorum silentio colligo, omnes pro manifesto supponere Prælatos aliarum Religionum. Suar. de statu relig. Tom. IV.

gionum, qui Abbates non sunt, non gaudere hoc privilegio. Idem videtur certum ex perpetuo non usu omnium Religionum non Monachalium; nullus enim earum Prælati hac vitur potestate; ergo signum est non agnoscere illam sibi concessam per viam communicationis. Et idem existimo etiam de Canonicis regularibus, quorum instituto, & procedendi modo posset facilius hæc facultas accommodari, & nihilominus non vtuntur illa, per viam communicationis, nisi aliquibus sit specialiter concessa. Deinde potest reddi ratio, quia hoc privilegium adeò speciale est, ut sub generali clausula non censeatur comprehendi. Item, quia non est ex his privilegijs, quæ pertinent, vel ad spirituales utilitatem, vel ad conveniens regimen Religionis, sed potiùs ad quandam dignitatem & præminentiam talium Prælatorum, quæ non videtur ita accommodata statui aliorum Religiosorum, præsertim mendicantium, & ideo non censetur ad illam extendi communicatio. Denique quoties iura loquuntur de inferioribus Prælati, quibus hæc potestas ordinandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine *Abbatu*, quod est signum per eam vocem, in iure significari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur. Et ideo in hac potestate non communicant: Præsertim, quia ex se & ex primæ institutione postulabat hæc potestas benedictionem ipsius Abbatis, & licet specialiter commissa postea sit Abbatibus non benedictis eorundem ordinum, id solum fuit, quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino priuarentur commodis eius. Prælati verò aliarum Religionum per se nullam habent benedictionem, & ideo, nec ex iure communi habent hanc potestatem, neque illa specialis concessio facta Abbatibus triennialibus, ad illos spectat etiam per communicationem. Cuius signum etiam est, quia neque alijs insignijs dignitatis uti possunt, scilicet mitra, baculo, &c. neque ad hoc privilegium extenditur communicatio, quia re vera non est res accommodata alijs institutis; ergo multo minus extendetur ad potestatem ordinandi, cum hoc ministerium sine Pontificalibus insignijs pericere non possint.

*Tacite obli-
vioni obli-
vitiur.*

CAPVT XXX.

De potestate eorundem Prælatorum ad res, aut resilienda benedicenda, vel consecranda.

Sciendum est, quædam ex his iure communi concessa esse simplicibus Sacerdotibus, ut est, aquæ, aut panis benedictio, de quibus in Missali ordinatio mentio fit, & de his hic non tractamus, quia ne supponimus Prælatos, de quibus agimus, esse sacerdotes, & eo titulo posse quicquid possunt Sacerdotes simplices: alia verò sunt propria Episcoporum iure ordinario, ut sunt consecratio calicis, vel altaris, & benedictio sacrarum vestium, & de his est in præsentis sermo. Est tamen ulterius aduertendum, quædam ex his benedictionibus fieri adiuncto christinate, ut calicis, vel aræ, alias verò per simplicem orationem, & asperzione aquæ benedictæ. Tandem supponendum est, quantum iure ordinario hæc non conveniant nisi Episcopo consecrato, nihilominus per Summum Pontificem posse regulariter committi Presbytero. Dico *regulariter*, quia de quibusdam dubitarunt aliqui, ut de consecratione chrismatidis, & de benedictione olei infirmorum, an scilicet possint ex delegatione Pontificis ita consecrari, aut benedici à simplici Sacerdote, ut sit sufficiens.

ciens materia Sacramentorum, confirmationis, & extremæ vnctionis, contra quos dictum à nobis est in 3. tom. 3. partis disp. 33. sect. 2. & 4. tom. disp. 40. sect. 2. Sed in illis est specialis ratio propter ordinem ad Sacramentum, cuius materia, & minister sunt de iure diuino; relictis ergo illis materijs, quæ ad Sacramenta pertinent, de cæteris benedictionibus ad sacramentalia tantum spectantibus, certum est posse Pontificem illas committere simplici sacerdoti, quia cum omnia sint immediatè ex institutione Ecclesiæ per eiusdem potestatem supremam, designari potest earum minister. Vnde etiam fit, vt ex communi sententia Doctorum multum in his posset valere consuetudo, præsertim, quoad simplices benedictiones, quæ sine vnctione christiatis sunt.

II. Assertio bi partita.

*Dubium
circa 2. par-
tem huius
assert. unde
ad Abbates
manauerit
hæc potestas
benedicendi.*

*Adnasse ex
consuetudine
ne quidam
arbitr.*

III. Quo pacto explicetur à nonnullis salu consue- tudi.

His positis dicendum in primis est Abbates regulares posse vestes sacras & pallas altaris, & corporalia benedicere, non tamen possunt consecrare calices, vel aras, nec consecrationem ullam efficere, quæ vnctionem christiatis requirat. Vtraque pars communis est Canonistarum in c. *Abbates*. de priuilegijs in 6. & in Clementina *Attendentes*. de statu monachorum. Vt autem singulas partes probemus, dubitari potest circa priorem: vnde duxerit originem hæc potestas, vel quo iure fundetur; nam in decretis c. *præced.* citatis nulla de hæc potestate fit mentio, sed solum de benedictione, & ordinatione Monachorum, ex quibus, esto maioris momenti sit saltem, quoad sacramentalem ordinationem, non licet inferre hanc potestatem, quæ diuersæ rationis est, & similiter in dicto cap. *Abbates*, dicitur quidem huiusmodi Abbates posse in suis Ecclesijs, quæ ad eos pertinent, pleno iure benedictionem solemnem post Missam, vesperum, aut matutinum tribuere; de alio vero benedictionis genere non fit mentio, neque ex illa colligi potest propter argumentum factum; quin potius per argumentum ab speciali, dum hæc benedictio tantum exprimitur, alia videntur negari. Propter hæc Doctores communiter hoc reducunt ad consuetudinem. Difficile autem est, explicare quomodo actus ordinis consuetudine præscribatur, quia pendet ex potestate ordinis, quam non potest dare consuetudo, licet dare valeat potestatem iurisdictionis. Quod autem hi actus sint potestatis ordinis, constat, tum quia non possunt fieri, nisi saltem à Sacerdote; tum etiam, quia in eis seruatur certa forma, & solennitas ad rem aliquam diuino cultui sacrandam ordinata; tum etiam à posteriori, quia Sacerdos, vel Episcopus ligatus censura, & hos actus exercens fieret irregularis.

Duobus ergo modis hoc explicari potest, primum iuxta sententiam Angeli verb. *Benedictio* n. 1. dicentis Sacerdotem simplicem, ex vi suæ ordinationis posse conicere hæc sacra benedicendo vestes, & c. nisi prohibeatur (imò, quod grauius est, idem dicit de benedictione calicis.) Quod si hoc verum est, facile intelligitur potuisse per consuetudinem introduci, vt his Abbatibus non censetur prohibitum hoc ministerium. Veruntamen fundamentum Angeli, vt ipse fatetur, receptum non est communiter, & illud etiam reprobarunt postea Syluester, & alij. Deinde ipse tantum illud ostendit à posteriori, quia potestas illa consuetudine acquiritur, quæ nec est bona collectio, vt statim dicam, nec ostendit cur Sacerdoti conueniat hæc potestas, eo ipso, quod Sacerdos est; quocirca vt Sacerdos habeat hanc potestatem, non satis est, quod non sit prohibitus, sed necesse est, vt positum illi sit concessa. Nam, vt dixi in tom. 3. part. disput. 15. sect. 3. sicut hæc sacramentalia ab Ecclesia sunt instituta, ita ministri eorum per Ecclesiam determinari potuerunt, & debuerunt. Nec videtur dubium, quin potuerit Ecclesia à principio instituire simplicem

Sacerdotem, vt proprium & ordinarium ministrum harum benedictionum, cum in hoc nulla sit repugnantia, vt ibi cum Durando dixi. Quod autem ita factum sit à principio, nec probari potest, neque est verisimile; ergo & gratis aliterur Sacerdotem hoc posse, nisi prohibeatur, sed dicendum potius esset, si ei concedatur, & verisimilius est, quod communis habet sententia ex primaua institutione solos Episcopos esse ordinarios ministros harum benedictionum; & consequenter in illis solis esse hanc potestatem quasi ordinariam. Probatur tum ex cap. *consulso*. de consecr. d. 1. vbi dicitur corporale debere esse ab Episcopo benedictum, neque id ponitur tanquam speciale, vt Syluest. indicat, sed pro occasione loci illud potius quam alia nominatur, significatur autem talium rerum benedictionem ordinario iure Episcopalem esse, tum ex Pontificali Romano, vbi semper ponitur Episcopus tanquam ordinarius minister harum benedictionum, semperque supponitur debere esse Pontificem, qui mitra uti valeat; tum etiam, quia ad maiorem reuerentiam & æstimationem talium rerum, ita fieri oportebat, cuius signum etiam est, quia nunquam legimus hoc licuisse omnibus Sacerdotibus, cum tamen etiam expressam prohibitionem non legamus; ergo ideo fuit semper prohibita, quia non fuit concessa, vt à simili colligitur ex c. *quoniam* 68. dist. 1. Vbi de Chorepiscopis dicitur, non posse ea, quæ sunt propria Episcoporum, quoniam quamquam consecrationem habeant, Pontificatus apicem non attigerunt.

Alio ergo modo explicari potest illa consuetudo, distinguendo, quædam conuenire Episcopis ratione suæ consecrationis, ex vi iuris diuini, quæ sunt confirmationis Sacramentum dare, ordinare, & similia, & de his verum est, non posse consuetudine acquiri. cap. *quanto*. de consuetudine. & ratio à priori est, quia nec consecratio potest acquiri consuetudine, nec consuetudo potest mutare ius diuinum, & de his intelligi debet communis doctrina Canonistarum in dicto c. *quanto*. & in c. *capla*. de consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Alia vero sunt, quæ Episcopis conueniunt, & referuntur ex institutione Ecclesiæ, vt ea, de quibus agimus, & in his videtur consuetudo posse habere vim ad conferendam potestatem, quia hæc potestas in hoc comparatur iurisdictioni, quod per solam extrinsecam concessionem dari potest; ergo licet iurisdictionis propter hanc causam consuetudine acquiritur, ita etiam hæc potestas. Item, quia hæc dari potest per extrinsecum priuilegium, sed consuetudo dare potest priuilegium.

Dices, ergo posset consuetudine acquiri, vt Sacerdos possit Ecclesiam reconciliare, quia hoc etiam ex institutione Ecclesiæ pertinet ad Episcopos; consequens est contra dictum cap. *qua*. de consecr. Ecclesiæ, vel altaris. Respondetur ibi esse rationem de priuata consuetudine Episcopatus inchoarentis, quæ ad hanc potestatem introducendam satis esse non poterat, sine consuetudine Ecclesiæ Romanæ, quod est valde considerandum, vt ita intelligatur sententia communis, quam tractamus. Vt autem huius ratio intelligatur, advertendum est, quoddam principium in eo textu positum scilicet Episcopum non posse delegare, quæ sunt ordinis Episcopalis inferioribus Sacerdotibus, sed tantum alijs Coepiscopis, vt habetur etiam in cap. *quod sedem*. de offic. ordin. Cum tamen Summus Pontifex possit aliqua ex his committere inferioribus Sacerdotibus, vt nunc supponimus. Ratio autem differentia est, quia actus ordinis, & sic est iure diuino annexus ordini Episcopali, & sic vel à nemine potest committi inferiori Sacerdoti, vel non nisi in aliquo raro casu à solo Summo Pontifice.

Pontifice ex plenitudine potestatis. Aut talis actus est annexus Episcopali ordini ex institutione Ecclesiæ, & sic etiam talis institutio ad Summum Pontificem spectat, & ideo nullus inferior potest institutiones mutare, aut alteri sua potestate illud ministerium committere, nisi in casibus in iure expressis. Quia ergo consuetudo non habet vim ad dandam aliquam potestatem nisi ex tacita voluntate illius Principis, qui talem potestatem delegare potest, ideo in præfenti priuata (vt sic dicam) diocesana consuetudo non fuit sufficiens ad huiusmodi potestatem conferendam: generalis autem consuetudo Ecclesiæ Romanæ sufficit, quia in ea Pontificia auctoritas interuenire censetur.

VI. Consuetudo non dat potestatem ad benedicendum res, sed est signum date

Quamvis potestas non dat potestatem ad benedicendum res, sed est signum date

VII. Quodammodo potestas non dat potestatem ad benedicendum res, sed est signum date

Vltimo tamen obseruandum est, quod aliàs diximus de iurisdictione, multo magis habere locum in hac potestate, scilicet consuetudinem ipsam non concedere hanc facultatem, sed esse signum concessionis à superiori factæ, quod multo magis in præfenti verum censetur, nam iurisdictione absque speciali concessione potest acquiri per consuetudinem legitime præscriptam adminiculo iuris, ita circa hoc expressè disponitur, de hac verò potestate nullum extat expressum ius quod consuetudine possit acquiri: est ergo hæc consuetudo signum concessionis à Summis Pontificibus factæ circa talem facultatem: & verisimile mihi est manasse ex aliqua expressa concessione, vel institutione Pontificum; quam in hunc modum probabiliter declaro, supponendo Abbates non posse iure ordinario, seu ex vi huius consuetudinis has res sacras benedicere, nisi ipsi benedicti sint. Argumento cap. *quantum*. d. 69. & cap. *cum contingit*. de etate, & qualitate, quod etiam sentiunt communiter Doctores, & patet etiam, quia sine benedictione non possunt iure communi vti insigniis Episcopalibus; ergo multo minus possunt hos Episcopales actus participare. Requiritur ergo benedictio, & illi censetur esse annexa ipso iure potestas benedicendi has res sacras. Et hinc verisimile sit, huiusmodi Abbatum benedictionem, ex voluntate, & institutione Summorum Pontificum habuisse vim conferendi hanc potestatem, & potestatem declarari. Nam in ipsa benedictione Abbatum dicitur per eam ordinari Abbatem, & consilium in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & quodammodo participare dignitatem Episcopalem; ergo mirum non est, quod ex vi benedictionis huiusmodi participet etiam aliquos actus Episcopales inferioris ordinis, & qui etiam possunt simplici Sacerdoti committi.

Sed adhuc obstat huic communi sententiæ priuilegium ab Innocentio Octauo concessum Cisterciensibus, vt generalis, & quatuor precipui Abbates possint pallas altaris, & omnia ornamenta Ecclesiastica benedicere; ergo signum est hoc non conuenire illis ex vi benedictionis, nec esse commune omnibus Abbatibus perpetuis, alias nihil Abbatibus illis speciale concederetur. Respondeo propter hoc incertum mihi esse, quid ante tempora Innocentij Octauum in hoc habuerit consuetudo, potuit tamen ab eo tempore vel ea occasione introduci. Nam Innocentius Quartus qui plusquam ducentis annis præcessit, in Clem. *Attendentes*. de statu Monachorum, negat Abbates hoc posse ex consuetudine. Deinde dicitur ex consuetudine solum posse Abbatem benedicere paramenta sui monasterij, vt notat Geminianus in cap. *Abbas*. de priuilegiis in 6. In illo autem priuilegio amplior potestas illis Abbatibus specialiter conceditur: nam verba sunt, *Pallas altaris & omnia ornamenta Ecclesiastica*, quæ non limitantur ad sola illa quæ Monasterij sunt, sed absolute ad omnia extenditur. Addit verò Syluest. verb. *Benedictio* n. 5. consuetudinem iam tenere, vt omnes possint cuiuscunque loci paramenta benedicere: quod

ipse etiam fundare conatur in dict. cap. *Abbas*, iuncta gloss. verb. *quasi Episcopalem*. Sed ex iure illo nihil colligitur, quia iurisdictione quali Episcopalis non dat facultatem ad actus ordinis nisi aliàs expresse concedatur: de consuetudine autem probabilius id est, quamuis iam magis videatur in priuilegiis fundata.

Ex his ergo satis probata est prior pars assertionis affirmatiuæ: altera verò, quæ negatiua erat, quoad consecrationes, quæ fiunt cum vñctione chrismatis, probatur primò, quia nullo iure, vel consuetudine (vt omnes fatentur) concessum est: & aliàs constat hos actus esse Episcopales. Imò sunt qui censeant, esse adeo strictè Episcopales, vt consuetudine præscribi non possint, quod tenuit Syluest. supra, & non parum fauet vsus non cõcedendi talem facultatem. Contrarium tamen tenet Angelus cum Cardinali, quod in rigore verius est, quia hoc simpliciter est ex iure humano, & ita potuisset Papa, si voluisset, hunc actum etiam adiungere, quasi ex officio, Abbatiali dignitati, ac benedictioni. Deinde in dicto priuilegio Innocentij Octauum dictis quatuor Abbatibus & generali Cisterciensi conceditur, vt possint etiam calices, & altaria consecrare, chrismate sacro prius ab aliquo Antistite Catholico recepto: nõ est ergo, dubium, quin possit Pontifex hunc actum committere Sacerdoti non Episcopo: cur ergo non poterit etiam consuetudine præscribi, vel benedictione Abbatum ipso iure coniungi? De facto verò certum est non ita factum esse, imò & de illo speciali priuilegio mihi incertum est, an fuerit vsu receptum, & an nunc duret.

VIII. Oportet curiam & partem eiusdem affect. quod si vera sit facta.

De possibili tamen contraria pars vera est.

Atque hinc vltèrius addendum est facultatem hanc non esse extendendam vltra benedictiones earum rerum, quæ ad sacra veltimenta pertinent, vel pallas, seu ornamenta altaris, sub quibus etiã corporale comprehendimus: nam ad hæc omnia, & hæc sola extenditur consuetudo, vt omnes Doctores docent. Quare licet in Pontificali Romano multa alia res nominentur, quæ sine benedictione olei benedicuntur, nihilominus nõ extenditur hæc facultas ad omnes illas, sed tantum ad supradictas. In dicto autem priuilegio Innocentij Octauum conceditur dictis Abbatibus, vt possint etiam benedicere vascula, ad reponendam sacram Eucharistiam, & quascunque imagines. Item vt possint Ecclesias, seu Monasteria sui Ordinis, quoties fuerit opportunum, dummodo ex homicidio polluta non forent, recõciliare aqua prius per aliquem catholicum Antistitem (vt moris est) benedicta obtenta: hoc autem priuilegium quoad hanc partem nõ est commune, sed particulare quorundam Abbatum. Denique licet hæc facultas olim solum concederetur Abbatibus benedictis, tamen Iulius II. in priuilegio *Sacra Religione* cõcesso familiæ Cisterciensi in Hispania, quod inter impressa est 19. concessit Abbatibus triennalibus, vt vestes, tunicas, & alia ornamenta, pro celebratione Missarum, & aliorum diuinorum officiorum, in Ecclesiis monasteriorum predictorum duntaxat necessaria benedicerent.

IX. Facultas prædicta, seu annexa quodammodo Abbatibus ad quod extendatur seu clausi alii priuilegium.

Secundò dicendum est Prælatos Ordinum mendicantium etiam posse sacra ornamenta benedicere, imò & suas Ecclesias, vel cõmeteria. Prior pars probatur imprimis per vim communicationis, nam quoad hanc benedictionem est in vsu, & praxi Religionum, eamque supponunt omnia compendia priuilegiorum Religionum, vt videre licet in Compendio Minorum, verbo *Benedicere*, & in Compendio Societatis eodem verbo §. 3. Vnde considerandum est, quoad alios Prælatos, qui nõ sunt Abbates, nõ posse allegari cõsuetudinem, vt immediatam ratione, seu titulum huius facultatis, quia reuera nulla est talis consuetudo, nec probabilis ratio eius; debet ergo fundari in aliquo priuilegio, quod potest esse,

X. Afferitur tripartita. Pro pars suadet per quam communitatem

*Dubitatio
contra hanc
parcem re-
moventur.*

vel directè concessum in hac specie Mendicantibus, vel omnibus, vel alicui Religioni illorum; vel tantum indirectè per viam communicationis, cū Religionibus Monachalibus. Et de hoc posteriori modo posset alicui esse dubium; propter dicta in cap. præced. Nam si non est communicatio cum illis in collatione Ordinum minorum, cur erit in hac benedictione. Item quia non communicant cum eis in facultate utendi insigniis Pontificalibus: ergo neque in hac benedictione; nam hæc duo sese comitantur. Vnde Cōgregatio Cardinalium in quodam responsō, circa Concil. Trid. sess. 23. c. 10. sic inquit: *Abbas qui est benedictus, vel qui ex privilegio Sedis Apostolicæ habet, ut Pontificalia exercere possit, ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere, illis exceptis, in quibus vinctio requiritur.* Nihilominus omnes, ut dixi, in hoc admittunt communicationem, cuius ratio statim patebit.

*XI.
Posterior
pars etiam
per directam
concessionem
extenditur
cum suis li-
mitationi-
bus. & am-
pliationibus.*

Secundò ergo probatur assertio, quia simile privilegium directè concessum est Minoribus per Leonem X. ut habetur in supplemento Minorum cōcessionē 55. & in Compendio eorundem, verb. *Benedictionem benedicere*. §. 14. & in Compendio Societatis eodē verb. §. 1. In quo privilegio duplex ponitur limitatio; una, ut solum pro suorum fratrum vsu possint hæc benedicere; alia, ut benedicere non possint ea, in quibus chrisma interuenit, in reliquis verò amplissima est cōcessio, nam extenditur ad Ecclesias, cōmeteria, Capitula, & Oratoria benedicenda, & cōsequenter etiam ad reconciliandam Ecclesiam pollutam quoties opus fuerit sine alia limitatione, ut notatur etiam in Compendio Societatis verb. *Ecclesia*. §. 2. Item extenditur ad paramenta, & ornamenta, & alia quacunque ad diuinum cultum necessaria. Vnde fit, ut etiam Corporalia possint benedicere, & pyxidem Eucharistiæ, & omnia alia, quæ ad altaris ornamentum, vel ad vsum sacrificij Missæ iuxta morem Ecclesiæ Romanæ benedici solent. Deinde quoad personas conceditur hæc facultas

non solum Generalibus, & Prouincialibus, sed etiam Conuentualibus Prelatis, & sub his comprehenduntur omnes Vicarij, qui in defectu Prælatorum eorum regimen, & iurisdictionem tenent, illos enim suprâ cap. 22. num. 4. diximus sub nomine Prælatorum comprehendendi, & in præsentī expressius declaratum est à Pio V. in quodam privilegio Hieronymianis concessio. Præterea in dicto privilegio Minorum additur, *ut idem possint alij fratres eisdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulo generali deputati fuerint.* Alij verò referunt concessum fuisse à Sixto quarto Ordini minorum, ut omnes simplices Sacerdotes possint hæc sacra benedicere, exceptis Corporalibus. Ita refert ex summa Rosella; Syluest. verb. *Benedictio*. n. 4. qui inde infert idem posse Sacerdotes Ordinis Prædicatorum. Existimo tamen, hanc tantam amplificationem non esse in vsu, neque etiam expedire. Præterea limitatio illa de benedicendis tantum vestibus ad proprium vsu, sublata creditur per viam communicationis, per dictum privilegium Innocentij Octauī concessum Cisterciensibus. Nam expressè dicit *tam sui monasterij, quam vni cuique sit.* Et in Compendio Societatis verb. *Benedicere*. §. 2. refert privilegium concessum à Iulio II. Priori Generali Canonico Sancti Saluatoris, quo simpliciter, & sine limitatione conceditur facultas benedicendi hæc, quæ sunt sacris vsibus necessaria. Atque ita supponitur fieri posse in scholio eiusdem Compendij, dum pro vsu huius potestatis quoad externos, prudens moderatio adhibetur, scilicet, ut non fiat nisi necessitate urgente & prælatis distantibus, & sine illorum offensione. Ex quibus tantum constat actionem hanc esse ex his quæ à prælatis Mendicantium iuxta suum institutum exerceri possunt, aliàs per propria, & directā privilegia non ipsis concederetur, & ideo quoad ipsam gaudere possunt per viam communicationis etiam privilegium Abbatibus concessis, & hæcenus de prælatis Religio-

